

**Carmen elegiacum de justo motuum corporis animique moderamine,
optimo tutissimoque vitae sanae longaeque praesidio / [Adrianus van
Royen].**

Contributors

Royen, Adrianus van, 1704-1779.

Publication/Creation

Lugduni Batavorum : S. & J. Luchtmans, 1759.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/f88h9trn>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

ADRIANI VAN ROYEN

CARMEN ELEGIACUM

DE

JUSTO MOTUUM CORPORIS
ANIMIQUE MODERAMINE,

OPTIMO TUTISSIMOQUE VITAE SANAE
LONGAEQUE PRAESIDIO.

dictum

Octavo Februarii c1759.

cum

MAGISTRATU ACADEMICO

iterum abiret.



LUGDUNI BATAVORUM,

Apud SAMUELEM ET JOHANNEM LUCHTMANS,

Academiae Typographos, 1759.

CARMEN ELEGIACUM

DE

OPTIMO TUTISSIMOQUE VITAE SANAE
LONGAEQUE PRAESIDIO


DICTUM

Obvto Februarii MDCCCCLIX

CUM

IN ACADEMIA

IN ACADEMIA



ALFREDUS BATAVORUM

et JOHANNES LUTHELIUS

Academici Typographi, 1859


ADRIANI VAN ROYEN

CARMEN ELEGIACUM

DE

JUSTO MOTUUM CORPORIS
ANIMIQUE MODERAMINE,

OPTIMO TUTISSIMOQUE VITAE SANAE
LONGAEQUE PRAESIDIO.



PERILLUSTRES AC GENEROSISSIMI ACADEMIAE BA-
TAVAE CURATORES.

AMPLISSIMI, GRAVISSIMI, LEIDENSIS URBIS PRAE-
TOR, CONSULES, JUDICES.

QUIQUE IIS VEL A CONSILIIS VEL A TABULIS ESTIS,
VIRI PRUDENTISSIMI, CONSULTISSIMI.

DIVINARUM HUMANARUMQUE LITERARUM PROFES-
SORES CLARISSIMI, COLLEGAE CONJUNCTISSIMI.

QUI TRIBUNALI ACADEMICO AB ACTIS ES, VIR SPEC-
TATISSIME.

DIVINAE MENTIS INTERPRETES CASTISSIMI, FACUN-
DISSIMI, PLURIMUM VENERANDI.

LINGVAE GRAECAE AC MATHESEOS LECTORES DOC-
TISSIMI, ACUTISSIMI.

QUARUMVIS ARTIUM AC DISCIPLINARUM DOCTORES
ERUDITISSIMI, SAGACISSIMI.

CIVES, HOSPITES, CUJUSCUNQUE ORDINIS AC LOCI,
AUDITORES HONORATISSIMI.

TU DENIQUE LECTISSIMA STUDIOSAE JUVENTUTIS
CORONA, SPES PATRIAE, SPES ECCLESIAE, ACADE-
MIAE DECUS, PARENTUM AMOR, NOSTRA CURA,
NOSTRAE DELICIAE.



ortes creari fortibus & bonis (ita praeci-
nente Lyricorum Principe) uno omni-
um ore atque consensu probatum agni-
tumque sonat ἐπιφώνημα : & meritò ,
non enim inbellem feroces progenerant
aquilae columbam. Verum, si homines, non qua-
les luxuriantia fingunt pinguntque poëtarum ingenia,
sed quales natura nati passim occurrunt, erudito
ferenatae mentis oculo contemplemur ; Quotus,
quaeso, ille quisque est albae gallinae filius, cui
tanta contingit felicitas, ut praerogativis hisce, non
nisi bono largiente Numine percipiendis, uti frui
liceat ? Quam numero pauci sunt, qui recto, qui
honesto inbuti pulcerrimo praestantibus adeò corpo-
ris animique dotibus excellunt, ut, verè fideles vi-
gilesque virium & virtutum custodes, beatam ejus-
modi sortem in terris experiri mereantur ? Utique
desiderantur Fortes ; Boni oppidò rari sunt ; & ta-
men omnes, quod mirari subit, tales haberi, tales
prae-

praedicari gestiunt. Equidem, si quid video, non aliunde id prognascitur vitii, nisi ex communi & connata quasi, cui omnes & singuli tam suaviter blandiuntur mortales, *Φιλαντία*: vera illa & perpetua (nisi summus mecum deliraverit Philosophus) errorum ac peccatorum omnium causa, & non exhaurienda turbidi fontis scaturigine. Hinc enim, Homunciones aliis, sibi Gigantes; hinc, omnibus infirmi prorsus & inbecilles, solis sibi natura validi atque robusti; hinc denique ingenio crassi, & (ne quid durius dicam) verè plumbei, (tantum quippe de suis quisque sperat facultatibus) unicè sibi sapere videntur. Hoc autem, utrum jam mentis vitio, an corporis valetudine contingat; num verò, quod rectius fortè & potiori quis jure statuerit, discordibus animi, tacita gliscentis superbia, motibus adscribi debeat, hinc non discutio, sed sublimioribus subtilioribusque ingeniis dijudicandum dirimendumque relinquo. Sufficit in praesens famosam illam, & quae cunctos quasi fascinat mortales, levi penicillo adumbrasse Venificam: Sufficit ad scopum nostrum viva, qua tangi meretur, urtica castigasse turpissimam illam, omnisque doli mali ministram, *Φιλαντίαν*.

Sed ne Vos, A. A. O. O. H. H. per longiores ambages ducere, aut brevitatis studiosissimus sub ipsum orationis exordium in proprias dicendi leges peccare videar, paucis hac hora evincere conabor, *Optimum tutissimumque vitae sanae longaeque praesidium, in*

justo motuum corporis animique moderamine, esse positum.

Has autem partes, quas ante me sermone soluto strenuè sustinuerunt alii, num ego, (cum novi nihil proferant vel novissimi,) ligato pede feliciter adimpleam, Vos estote Judices.

Quodsi verò contigerit, ut promissis eventus non respondeat, aut suprema fortè ad Vos verba facienti latera deficient, vestra, A. A. H. H, quam iteratis jam vicibus ex hoc suggesto dicenti canentique experiri licuit, fretus bevolentia, veniam pro laude paciscor . . . Saltem

Hoc habet: e placitis adfurgens Musa latebris

Dulce salutifero spargit ab ore decus.

Hoc habet: Aonio vigor inflammatus ab oestro

Purpureum genii fundit ab igne jubar.

Hoc habet: excusso lenti torpore veterni,

Pectus agit Phoebus plenus utroque furor.

Hic Deus, Hic miseros ex orci faucibus aegros

Eripit, auratas increpat ille fides.

Hic mihi, quem a teneris colui, comes ibit eunti,

Et gemina gressus diriget arte meos.

Vos modò cantanti Medicique Sophique favete,

Et festum hoc facili combibite aure melos.

Lam-

Lampade sol rosea lucens , (seu surgat Eöo ,
Seu lavet Hesperio fervida plaustra mari ,)
Immensum radiis repetit splendentibus orbem ,
Lustratosque novo lumine lustrat agros.
Luna phasēs reparat , nova cornua Luna resumit ,
(Ni fors cantatis moesta laboret equis.)
AEquora subsidunt , fluctusque ad sidera tollunt ,
Et fluit & refluit Tethyos unda vagae.
Ignibus astrorum pictum chorus alter olympum
Temperat , auratis itque reditque rotis.
Perque sua in sese vestigia volvitur annus ,
Truditur & mensis mense , diesque die.
Usque adeo facies rerumque renascitur ordo ,
Et subeunt solitas Nata , Renata , vices.
Nos ubi decidimus , sub dias luminis auras ,
Corpora nostra , olim non reditura , cadunt.
Stat sua cuique dies , stat adulti terminus aevi ,
Et , ruit in cineres , quod fuit ante cinis.
Lege sub hac dubium vitae mundique theatrum
Scandimus infantes deferimusque senes.
Ulterius nihil est : huc serius ocyus omnes
Tendimus ; hoc properant Croesus & Irus iter.
Ulterius , licet ipse sacras Epidaurius herbas
Colligat , & docta misceat arte magus ,

Quic-

Quicquid agyrta levis magno promittat hiatu,
Nil, quo mortales progrediantur, habent.
Effugit extructos, fateor, compage revulsâ,
Pars melior nostri nobiliorque rogos.
Immò, nec inficior, divino semine creta
Mens aliquid fragili corpore majus habet.
Namque animo versata capit, percepta sagacis
Vi genii prudens judicat, odit, amat.
Ast habet &, quo se Zoroastri machina, qua non
Splendidius mundi condidit Auctor opus,
Efferat, & merito. Vis enthea corporis ultrò
Corporeos actus, mente silente, regit.
Solaque, (divinae veneror miracula dextrae!)
Vitam animat; vitae proxima causa suae.
Haec valet, aeterno quamvis obnoxia fato,
Per se principium perpetuare suum.
Haec nisi constantem fibris animosa vigorem
Inspirarit, iners corpora languor habet.
Siccine corporibus mens imperat, & sine dulci
Conjugis amplexu regia sceptrâ tenet?
Siccine, uti perhibent, famulos dominatur in artus
Corporis, & sensus lege soluta regit?
Nil minus: ad summum, dum conspirantibus armis
Altera in alterius commoda portat opem,
Jure

Jure fodalitii per jussâ reciproca , dulces
Imperii alternant obsequiique vices.
Usque adeò nunquam, nisi sana in corpore sano
Mutua mens cantet classica , sanus homo est.
Immò ita pulsanda est lyra corporis , undique suaves
Hospes ut accentus harmoniamque sonet.
Testor honoratos emunctae naris amicos ,
Et medica claros arte manuque Viros.
Qui , quoties rabidi stimulis agitata furoris
Auxilio artificis corda potentis egent ,
Corporeis aegros animo moderantur habenis ,
Divina renuant si ratione regi.
Immò , ubi nec voces profunt nec verba , saluti
Caesaream pandunt ense vel igne viam.
Cumque ita , seu mentem seu corporis organa spectes ,
Pendeat a gemina tota salute salus ;
Quid mirum , si cura animi , si cura caduci
Corporis ad castos sit revocata sophos ?
In quorum numero , quantumvis paupere , vati
Sit mihi postremum fas tenuisse locum.
Quippe quod ad numeros non castigata Medentum
Sustineam vincto sensa referre pede.
Dum modò , naturae per quae moderamina motus
Corporibus mentes convenienter agant ;

Et modò, qua certas properantia lege ruinaſ
Corpora eant animis obſequioſa ſuis,
Nunc, quibus, extentae per mille pericula vitae,
Praefidiis homini tempora laeta fluant,
Dicere Muſa parat. feſtivi turba theatri
Plaudito, ſi plauſu digna favente lyra eſt.

Scire licet, longosque dies vegetamque ſalutem
Cum deſiderio quiſque flagrante petat:
Cum cupiant omnes paſſim juvenesque ſenesque
Deliciis aevi lautitiisque frui:
Quî fit, ut, ex multis vix tramite millibus unus
Incedat voto conveniente ſuo?
Quî fit, ut, ex validis prognata parentibus, excors
Ante diem ſoboles languida membra trahat?
Quî fit, ut, ex proavis atavisque potentibus ortus,
Sordeat in tenui conditione nepos?
Negligit hic corpus, mentem dementior alter,
Tertius ignavo perdit utrumque ſitu.
Quilibet heu! rationis inops caraeque ſalutis
Prodigus, errorem mulcet alitque ſuum.
Atque ita vix quiſquam eſt, animi qui motibus aegri
Imperet, aut corpus, qua decet, arte regat.

Proh!

Proh! quantum humanae vaga per deliria mentes
Terrenae in terris lubricitatis habent!
Proh! quantum, verae virtutis & ordinis expers,
Indulget vitiis impia vita suis!
Solut enim, amborum tumidos componere fluctus
Consilio didicit qui sapiente, valet.
Hic, velut e specula, surgentes nube procellas
Prospicit, iratis vela negatque notis.
Hic, valido felix nervorum robore, mentis
Tranquillae fruitur pace, potensque sui est.
Hic sapit, hic sano meditatur honesta cerebro
Et pulcra, hic solus corpore, mente, viget.
Hic, ubi secum habitat, jucundae munere vitae,
Coelicolum in terris forte potitus, ovat.
Ergo age, & augustam mihi, Phoebe, Salutis in aedem,
Cura bonae mentis si tibi, pande viam;
Castaque votivis morum praecepta tabellis
Inferre, ut affectus aspera turba regat.
Arte nitent animi, crudos Sapientia mores
Mollit, & ingenium non finit esse ferum.
Hinc, quicumque voles placidam traducere vitam,
Esto hilaris, curas effuge, solve metum.
Invidiae domitor, casti moderator amoris,
Praecipites irae disce cavere minas.

Tristitiam languor, curas comitatur amaras
Anxietas, praeli corda gravantis onus.
Qui timet, aerumnis graviora pericula veris,
Expers consilii, cernit, alitque malum.
Vir bonus insani ridet mendacia vulgi,
Ambiguoque levem spernit in orbe Deam.
Nil conscire sibi, nulla pallescere culpa,
Ut Venusinus habet, *murus ahenus*, Olor.
LIVOR edax animum, veluti rubigo metallum,
Conficit, & stygia corpus adurit aqua.
Invidus hinc, lenti macrescens tabe veneni,
In sua dum saevit viscera, poena sibi est.
Saltem, aliena oculis ubi commoda limat iniquis
Sordidus, inde bonae nil sibi frugis habet.
Nec facilè adsurgit mores generosus in altos,
Sed vitio genitus serpit, ut anguis, humi.
IRA, parens odii, tumidae temeraria bilis
Filia, tartarei carcere digna Dei,
Praecipitat mentem, rationis destruit usum,
Vertit mansuetos in fera monstra viros;
Dumque furore brevi longos male suada labores
Parturit, infectum quod volet esse, facit.
Heu! quam terribili rabida haec infania vultu
Saevit, ubi atroces cogit in arma manus.

Igne

Ignē truces ardent oculi, vibrantque minaci,
Perpetuo horrificas fulmine, fronte faces.
Dentibus infrendet, spumas agit ore cruentas,
Pallet, & illis membra tremēte quatit.
Talis in ignitis oculis Agamemnonis ardor;
Talis in irato fulgor Achille, fuit,
Quum sibi subductam vi (proh pudor!) esse puellam
Sensit, ut in fastis divus Homerus habet.
Scilicet, hoc ipso non est deformius ullum,
Nec mage, vel Seneca iudice, turpe malum.
Hic furor affectus animi supereminet omnes,
Et premit imperio crimina cuncta suo.
Vincit Avaritiam, coeco impete vincit Amorem,
Et gelidum ardenti discutit igne Metum.
Hic furor Ajacem saevis prostravit in armis,
Hic Hecubam in turpem iussit abire canem.
Hic dedit Alcidae, series quem nulla laborum
Fregerat, Oetaeo membra cremanda rogo.
Hinc subitae mortes, desolatique Penates,
Hinc via ad infernos prona patensque lacus.
Sed qua, BLANDE PUER, qua te, FORMOSE CUPIDO,
Candidus excipiam fronte, vel ore canam?
Quo te festivis gestuque habituque theatri
Producam, vultu lenis & asper Amor?

Foedere tu sanctos thalami genialis honores ,
Et stabilem firmas posteritate domum.
Per te Simplicitas nudam se nuda tuetur ;
Et cum purpureo cana Pudore Fides.
Per te jucundae celebramus festa Juventae ,
Per te mortales , quod sumus , omne sumus.
Est in amore salus , licet optima mille dolores
Gaudia disturbent , est in amore salus.
Verum , ubi blanditias , risus , nutusque loquaces
Spargit , ad incestus ingeniosa , Venus.
Quam citò pruna levis , cineri supposita dolo ,
Ardet , & ignivomo devorat ossa rogo !
Quam subito positos egressa Modestia fines
Ambigit , & coeco cum Duce coeca ruit !
Quam facile errorem foedum temerarius error ,
Arte mala fraudem fraude tegente , trahit !
Tunc face , tunc pharetra telisque armatus & arcu ,
Alta , furens aestu , cornua sumit Amor.
Impatiensque morae stridentibus advolat alis ,
Vibrat & in calidum spicula torta jecur.
Heu ! quot non juvenes , quot non ferus ille puellas
Perdedit , & laqueis implicat usque suis !
Quot non legitimi temeravit foedera lecti
Improbis , & casti jura marita tori !

His

His (hodierna licet vincant exempla priores,
Quotquot ab historiis innotuere, typos.)
His (ne fortè vagae Veneris malè prodat amores
Ad vivum expressis picta tabella notis.)
His Helene stimulis bis adultera facta pudorem
Exuit, obscœnis digna rapina procis.
Hoc doluit justis vindex Menelaus in armis,
Cum suus ex Paridis crimine crevit amor.
Hoc doluit, Phrygias inter celeberrima Nymphas,
Oenone, lacero corde tremante sinu.
Hoc pia Penelope, dum lentum exspectat Ulyxen,
Hoc doluit viduo Laodamia toro.
Testis Dardanidum Priamique arx alta superbi
Et vetus Argivis Ilios usta focis.
Scilicet acer Amor non una indagine fallit,
Mille sed exercet retia, mille plagas.
Colligit errantes oculis petulantibus ignes,
Colligit affectus quoslibet unus Amor.
Invidet, odit, amat, metuit, vovet, audet, & ausis
Inferior, nullo frena tenente, furit.
Est in Amore dolor, quamvis comitentur amara
Mille voluptates, est in Amore dolor.
Qui sapit, hos arcus, hæc tela Cupidinis audax
Frangit, & urentes excutit ossa faces.

Qui

Qui sapit, affectus omnes moderatur, at iram
Invidiamque, duo monstra tremenda, domat.
Si miser, ut miser est, cui leges callida ponit
Foemina, blanditiis imperiosa suis.

Quantô flebilior, sibi qui succumbit, & ultrô
Submittit famulo libera colla jugo.

Audiat hoc viridi florens aetate Juventus!

Audiat hoc canis curva Senecta comis!

Omnis ad extremum studio nocet ardor anhelos,
Et vitio Nimium non caret omne suo.

Inconstans animi, stimulis agitatus iniquis,
Servandum in rebus nescit habere modum.

Si medium tenuisset iter, fallacibus alis

Icarus aequoreas non temerasset aquas.

Oscula Narcissus nisi fontibus uda dedisset,

Ridiculus formae non nocuisset amor.

Quilibet experto propriae mihi crede ruinae

Auctor, & aerumnae causa caputque suae est.

Felix! qui minimis fallax erroribus aevum

Transfigit, & vitiis imperat ipse suis.

Felix! qui miserae metuenda pericula vitae

Effugit, & portum, quem meditetur, habet.

Perque viam pulchrae Virtutis Honoris in aedem

Scandit, & aeternae laudis anhelat opes.

Nec

Nec tamen, ad titulos non aere sed arte paratos,
Turgidus ampullis ambitionis ovat.

Sed, recti verique tenax, sectatur honestum,
Quod juvenes ornat ritè, decetque senes.

Sed, privata domus, patriae seu publica tractet
Commoda, justitiae pondera sola probat.

His quicunque animum virtutibus auget, easque
Exercet, magno Socrate major erit.

Edocet hic oculos, ne quae sibi vulnera quaerant,
Aure nec admittit, nec ciet ore, nefas.

Integer hic vitae scelus averfatur, & omnes
Ut teneat, spernit, quas habet orbis, opes.

Hic pius, hic prudens, hic candidus atque rotundus,
Humano superos exprimit ore Deos.

Mens summum tranquilla bonum est, tutela Salutis
Pax animi, & cerebri nata quiete quies.

Sedibus his pietas cordis sincera moratur,
Tutaque formosa relligione Fides.

Sedibus his aevi regnat spes laeta futuri,
Et viget aeternis vita beata bonis.

Donec adorandum, post fata novissima, nulli
In terris homini transfilienda, Deum

Perpetuis hymnis celebrabimus, inque Parente,
Et Sobole, & Sancto Numine, Numen idem.

Pergite, Pierides, exhausta parte laborum,
 Pergite, & admissō subdite calcar equo.
 Compositoque animo, Faciles componite corpus,
 Utraque tutelae credita cura meae.
 Publicus in pulcras amborum adsertor arenas
 Conscendo. Coeptis annue, Phoebe, meis.
 Doctaque iudicium suspende Corona severum,
 Nec temerè Medicum nec reprehende Sophum.
 Cos acuit ferrum, licet exsors ipsa secandi,
 Expurgat cerebrum Sal, licet acre, malum.
 Enthea vis vitae, cunctos diffusa per artus,
 In cerebro sedem fertur habere suam.
 Nec tamen ex illa tantum circumspicit arce,
 Imperii leges distribuitque sui.
 Sed vigil in fibra minimique propagine nervi
 Excubat, & partes, quas tueatur, habet.
 Illa ciet bellum, pacem facit illa, tumultus
 Illa repentinos excitat, illa sopit.
 Illa quatit sceptrum: germanae iussa Sorores
 Expediunt, Dominae subveniuntque suae.
 Dulce ministerium est. Animales temperat actus
 Altera, dum reliquis altera & una praeest.
 Illa refert, sensus famulique per organa motus,
 Fata sua, & menti sedula praestat opem.

Haec

Haec data Naturae Vitaeque negotia curat,
Juris & arbitrii, cetera, tota fui.
Unanimes ambae, quales decet esse Sorores,
Nunc gaudent, versa nunc vice fata dolent.
Inde Valetudo, vel ridet libera morbis,
Aut oppressa malis undique, tota gemit.
Hancce, (catenati corpusque animusque, labores
Diffimili quamvis forte jugoque ferant,
Naturam jussumque Dei regale sequuntur:
Sufficit illa, vias invenit illa, sibi.)
Hancce ubi praecipitem seu mens, seu mentis iniquus
Impetus, in turbas ingeniosus, agit.
Acrior aut stimulus, vel corporis insita vitae,
Nervosive Hominis, vis violenta, ferit.
Mox ortu varius vario discrimine morbus
Ingruit, & medicam languor anhelat opem.
Hanc ego, cui longo fiducia crevit ab usu,
Spondeo, si victas mors det acerba manus.
Hanc ego, non rerum farragine saepè nocenti
Non ignis, varia vi variantis, ope,
Simplice sed motus vitae moderamine, sensus
Falsa nisi veri ludat imago, feram.
Vos penes arbitrium est, habeatne criteria veri,
An cerebri spiret somnia, Musa, vagi.

Si flexa ad numeros animi lenire dolores
Vox valeat, nubes discutiatque graves.
Quid non Poeonia, Medici, speremus ab arte?
Musica Dis curae, Dis Medicina fuit.
Non ego per praeceps in aperta pericula ducam,
Sed librata suo pondere membra regam.
Consule, si sapias, Ingesta, Excreta, Retenta;
Corporis atque animi consule Gesta tui.
Ingere, quod satis est: quod inutile, dejice pondus:
Membra move: arbitrio, cetera, vive tuo.
Ulterius nihil est, Medicus quod spectet, & error
Si subit, errorem corrige, mitte, cave.
Rex ero, si dederis: vegeto vitalia motu
Flumina, Maeandro restituenda suo,
Vel dare, vel vitio turbata negare, salutem,
Et vitam, vitae fonte silente, mori.
Si renuas; vitam solo subsistere motu
Contendam: lites aestimet Artis amor.
Cor premit acceptos impulsu perpetue succos,
Purpureisque in se volvit agitque rotis;
Persentitque, tubos ubi musculus urget anhelos,
Auxiliatrices, igne juvante, manus.
Turgidus aetherea Pulmo dum vescitur aura,
Ventilat humores nocte dieque novos.

Inde fluor massae per se redit aptus inertī,
Et calet expertis uncta culina coquis.
Inde nitet Cerebrum, Jecur, & qui, mole tumescens,
Ex vero Fiscī nomen & omen habet.
Inde vigor nervis, validis juvenile lacertis
Robur, & humanis vita beata bonis.
Quid superest? stimulus donec stimulante movetur,
Vivimus, & vitae dedita turba sumus.
Cedimus at fatis, ubi vasa quiete residunt,
Et motus, oleo deficiente, silent.
Viveret Iliacus, (sed non ita fata tulerunt,)
Si gravidus Danao milite staret, Equus.
Viveret, &, radiis propria virtute reductis,
Non interruptum perpetuaret iter;
Viveret aeternum, profugo Motore superba
Machina, ni vitae fonte careret opus.
Ergo age, &, ut sartam tectam tueare salutem,
Principio vitae praeside, membra move.
Excute Torporem, lentum excute corde veterum,
(Desidiae causam desidiosus agat.)
Virus habet, gelido fallax depascitur igne
Corporis atque animi robora, virus habet.
Cernis, ut infirmet tardum languore cerebrum,
Filaque nervosae laxet eburna lyrae.

Cernis , ut , inductis ignava per otia morbis ,
Deserat ingenuas purpura grata genas.
Inque locum succedat iners & pallidus ora,
Fallor ? an ex Hydrae femine natus , Hydrops.
Degener ad Venerem fomnoque ciboque saginet
Viscera ; nervorum vim generosus amat.
Ingluvies jugulat , gliscit stimolata voluptas ,
Auctaque luxuria sollicitante neeat.
Lege data Cyrus Persis , (si vera vetustas ,)
Concessit nullos absque labore cibos.
Utile propositum est : aequent alimenta labores ;
Ad vires motus exige , sanus eris.
Non undena mihi viridis per lustra juvenus
Cresceret , & firmo staret adulta pede.
Ni tener arguta docuisset Naso Camena
Quod vitium capiant , ni moveantur , aquae.
Hoc utinam ! compti juvenes comptaeve puellae ,
(Ludificant mixto femina virque foro.)
Hoc utinam ! adsueta per tot dispendia tanti
Temporis hesternas aedificare comas ;
Hoc utinam ! lepidi , quos picturata Papyrus
Sedibus adfixos nocte dieque tenet ;
Perciperent ! pictae forderent nomina Chartae ,
Sorderet fallax Alea , tecta Venus.

Heu !

Heu! quantum, quantum, peregrinis moribus, aetas
Proh dolor! a priscis nostra recessit avis.
Hi, procul a fuco, justique rectique tenaces,
Servarunt, maesti laudis honore, decus.
Atque, opere exacto, dulci sine fraude Lyaeo,
Luce sacra, frontes explicuere suas.
Hos ego, dum vivam, (vivat per secula virtus
Mascula!) naturae lege jubente, sequar.
Mortua degenerem, genuinum urtica nepotem
Viva ferit, promptam fertque salubris opem.
Nobilis a prima vires aetate palaestra
Firmat, & infantis debile robur alit.
Frigoris hiberni spernunt exercita motu
Corpora saevitiem, tuta calore suo.
Mollitiae exhaustam motu Medaea juventam
Restituit, longos continuatque dies.
Hinc ea, quam perhibent, Aquilae formosa senectus,
Hinc valido vires corpore, mente vigor.
Hinc nitet, hinc ridet, melioris sanguinis index,
Purpureus niveo mixtus in ore color.
Hac fugiunt Lenti nullo discrimine morbi,
Hac Celeres multi saepe caventur ope.
Cedit aquosus Hydrops, cedit Pituita labori,
Et grave concusso rene fugatur onus.

Ple.

Plenior exhalet, motu gracilescat obesus;
Pondere subducto crescet utrique salus.
Quêis exercitiis & dira & diva Podagra
Pellitur, his hilari pallida fronte Lues.
Nec juvat hîc doctas animum coluisse per artes,
Corpore neglecto machina mensque ruunt.
Deme, salutifero medica rubigine, Marti
Armorum sonitus, Miles inermis erit.
Nobilis auriferis nil Cortex missus ab oris,
Nil Jovis & Majae mobilitate Satus.
Nil sine corporeo motu generosa Metallis
Flumina, vel sacris fontibus orta, valent.
Ast Exercitium, quoniam non omnibus idem
Utile, conveniens elige, tutus eris.
Hinc, quid Vita ferat, quid Sexus, Tempus, & Aetas,
(Hoc Arcana latent cortice tecta) vide.
Adsueta a teneris (odit Natura Novantes)
Permutare aliis, sint licet apta, cave.
Indomitasque Jovis, qui me nervosior, iras
Rideat, & velis naviget ille suis!
Cetera, ad extremam ne peccet sordida metam,
Aut cadat attritis vecta Thalia rotis.
Doctus Aristarchus, divini censor Homeri,
Ambulet, hispana prae gravitate, Pedes.

Socratis exemplo, saltetque agitetque choreas,
 Lumina cui pigro victa sopore cadunt.
 Nam saltante Sopho quis non saltaret, & artus
 Flecteret ad numerum, voce juvante, leves?
 Per me declamet, ceu rhetor, ineptus agyrtes,
 Eloquium docti si Ciceronis habet.
 Per me natales sancti celebrentur Huberti,
 Exagitetque canum vis generosa feras.
 Verset aratra manu, liquidumve per aethera missas
 Luce sacra geminet rustica turba pilas.
 Per velata globos mensae protrudat eburnos
 AEquora, fallaci prodigus arte, nepos.
 At, vaga si spisso turgent tibi viscera succo,
 Conspicuus, vacuo ventre, veharis equo.
 Arte laboratos tantum ne scande caballos,
 Ni mala luxatae praemia mentis ames.
 Cui lepidum caput est, physico sed inane cerebro,
 Ut crepet, arborei terga fatiget equi.
 Denique, Democrito qui se sapientior effert,
 Naviget Anticyras, Helleborumque petat.
 Claudite, Pegasides, fontes Aganippidos, almo
 Plus fatis undarum prata bibere sinu.

*Hic A. A. H. H. dicendi canendique
 finem facere mihi proposueram,*

D

Turbine

Turbine sed quassas ACADEMI sentio sylvas:
 Heu! meus Heroas inter HONERTUS, ubi est?
 Ille sacrosancti gravis Ordinis arbiter, amplos
 Ille Senatores maximus inter, ubi est?
 Occulit indignis vultum dignissimus Umbris,
 Consulat ut famae postuma fama suae.
 Hinc benè prospexit labefactae sancta Minervae,
 Te sibi quod legit, Dos nova, cura Patrum.
 Vulnera sic coeant: sic fesso Atlante repostum
 Herculeis humeris excipiatur onus.
 Maeste animo, & fortis famam immortalis HONERTI
 Contendas meritis amplificare tuis.


Eloquar, an fileam? passis Elegëia luget
 Crinibus, & sectis faucia tota genis.
 Eloquar, an fileam? trahor in diversa, fatigant
 Pectora certantes, hinc amor, inde dolor.
 Hic jubet, Ille vetat, gelidae dare inania morti
 Munera, & effusis exululare comis.
 Vincit amor sancta potior pietate, dolorque
 Praebuit ut victas, solvitur ora, manus.
 Et, miserum rauca meditatus arundine lessum,
 Heu! celebrat festo funera acerba die.

ANNA,

ANNA, Caledonii dignissima sanguinis Haeres,
Dotibus ingenii nobilis ANNA jacet.
Dumque graves implet partes generosa Mariti
Proh dolor! erepti, Proh dolor! Ipsa cadit.
ANNA fuit: nigris circumsonat atria pennis
Nenia, & augustas mors cubat ante fores.
Pro viridi myrto surgit funesta cupressus,
Pro viola & pulcris horrida spina rosis.
Virgine pro lauru telis paliurus acutis,
Proque hederæ, taxus, fronde comante, nocens.
Ingemuit, planxitque sinus CAROLINA decoros,
FRATRIS & ad lacrymas vix premit Ipsa suas.
Fletibus indulget, curisque liquescit amaris
Regia, funereas ut videt, Aula, faces.
Indoluit GENITOR: confusa BRITANNIA luctu
Squallet: it exequias BELGICA moesta pias.
Atrati Proceres, atrati ex ordine Cives,
(Singultu querulos frange, Thalia, sonos.)
Per lacrymas, gemitus, planctus, suspiria, ducunt
Funus, & averfis vultibus ora tegunt.
Publicus hic luctus: socio lugubria fumens
Publica communis plorat amore dolor.
Et merito. pars ANNA gravis veneranda Senatus
Augusta viduum fecit in aede locum.

Nec sale consperso posthac sermone sedebit
Conspicuos inter conspicienda Patres.
Nec Procerum validis decreta tuebitur armis
Principibus Princeps celsior ipsa suis.
Nec (proh quanta extant uncti monimenta favoris!)
Munera munifica sparget inempta manu,
Dum vel Alexandrum vel fortem pingit Achillem,
Vel tereti niveum pollice pulsat ebur.
Tot dotes animi, dotes tot pectoris alti,
Tot bona, nox tenebris claudit, & urna, suis.
O utinam super historiae vixisset acerbae,
Civicus & lites composuisset amor!
O utinam in media non exspirasset arena,
Et controverso jure careret honos!
O utinam Batavo Pietas candore coruscans
Principis & Legum fida Ministra foret!
Sic, sic Aula fidem, virtutem summa Potestas
Amplexae, Populis aurea secla darent.
Hoc opus, hic labor est. doctae, vitare Charybdin
Qui cupit, in Scyllam ne cadat, artis eget.
Hoc unum, hoc unum, (nam quae morientis ab ore
Proveniunt, rata sunt) aegra Thalia dolet.
Nempe quod, ancipiti Patriaeque & Patris amore
Extenuata, suum viderit ANNA diem.

Imbueritque aras, infani Victimæ belli,
Et geminos insons ac miseranda focos,
Ante triumphales potuit quam cernere lauros,
Et pacem Europæ restituisse bonam.
Sed, matura polo, coelos conscendit, ab æquo
Praemiaque expectat Judice iusta suo.
Sic cecidit pars una mei, parsque altera voti,
Utraque NASSAVIO sed reparata toro.
Dî benè! quod superent nostri GULIELMUS amores
Et CAROLINA, altae Spesque Decusque Domus.
Haec Patriæ, haec Batavi duo firmamenta Lycei
Inconcussa Dei servet ametque Favor!
At, Tu, MAGNE GENI, cape, quos adolemus, honores,
Auriacis arabo fiet odore focis.
Tu, sanctum, GULIELME, caput, caput Ordinis alti,
Ad placidas artes erudiende, veni.
Consilii plenos virtutis amore Penates,
Quos Proavi Leidæ constituere, cole.
Hic habitant Leges, hic dignæ Principe Musæ,
Hic ferit astra piæ Religionis apex.



Instructis aras, immo Victimis bellis
 Et geminis istis ac muneribus foret
 Aene triumphales parant quoniam lauros, non
 Ita pacem Troopae restituere possunt.
 Sed, manibus polo, coelos condescendit ab aethere
 Immensus caput, Iudice iudicis, Iudice
 Sic occidit pars una mei, parsque altera, totum
 Uirque Nassavio sed reparet totum
 Di pedes! quod sepebant nostri GULIEMUS amoris
 Et CAROLINA, alio speque Decusque Domus.
 Haec Patriae, haec Bavari duo summanus Lycet
 Inconculsi Dei forte, sanctique foveat
 At Tu, MAGNE GENI, cepe, quos adolens, honores
 Auspiciis arbo fas odore locis
 Tu, sanctum, Geni, erat, caput, caput Ordinis illi
 Ad placidas aras, erigende, vultu
 Conspicui plene virtutis amore Patres, A di, ad
 Quos Proxi, Iudice constituit, celestium
 Et habent, leges, haec deus, Principis, Iudice
 Hic tunc ista sine Religione operibus
 Et tunc ista sine Religione operibus
 Et tunc ista sine Religione operibus
 Et tunc ista sine Religione operibus

